

servantur tot illi descripti Codices, Italia, Gallia, Hispania, Belgio ab annis circiter quinquaginta vulgati; ut in omnes grassari, procacesque, & interpolatrices manus immittere poterint? Bellum profecto, bellum!

Certe Congregationum istarum Acta nulla esse non possunt. Quis etenim ita desipiat, ut dicat, in tota decenniali gravissima Controversia translatione nihil fuisse a Secretariis in publicas Tabulas relatum, nihil a Consultoribus, ceterisque Judicibus scripto traditum? Si ergo quae proferuntur Acta, Praedicatoribus adinventia, conficta, supposititia, adulterata sunt; proferant, quae vera, & indubitata esse velint. At est illa virorum istorum mira indoles, ut nulla quidem in sui gratiam Acta proferant, immo nulla hujusmodi scripta esse fateantur; nec ea tamen admittere velint, quae sola in hanc usque diem allata sunt: ob id certe, quod adversa parti unice faveant. (1) Sed non ita illud sibi patiuntur eruditi, fatisque norunt, tritas esse miserorum circulationes, qui, ne videri videantur, comperitissima quaque, & in omnium oculis posita, pertinaciter negant.

Reponit morosus Actorum Censor in Quaestionibus momentosis, [2] ea demum, solutis Congressibus, ne casta quidem glande, aut vitiosa nuce, ab Summo Pontifice, totoque Cardinalium Confessu habita esse, sed despecta, contempta, uti prorsus indigna, ad quorum normam agitata toto decennio Controversia exigi possent, ac definiti: Hujusque sui commenti rationem proferat, quod haec non in publicis Ecclesiae scriniis, ac tabulariis deposita fuerint, sed unius Coronelli, publico munere defuncti, arbitrio permissa. Verum quorsum, amabo, rem ita gestam, tanta fiducia pronunciat? Forte quod illorum Autographa in privato Augustinienium Romanorum tabulario etiamnum extant? At quis unicuique duntaxat cuiusque iudicii, aut Censurae exemplar autographum a publico Congregationis Scriba descriptum esset; ut hinc certo colligi liceat, nullum in publicas Ecclesiae tabulas relatum esse, quod aliqua apud Augustinienfes servari contingat? Judiciorum, ac Censurarum exempla pro Cardinalium, ac forte etiam Censuram numero describebat Coronellus; & haec vero ex legum formulis autographa consuebantur, publicam etiam in iudicio fidem habitura, ex quo a publico sacri Confessu Scribae aut transcribentur ex integro, aut ejus peculiari nota obsignantur. Quid ni ergo ex tam multis autographis aliquod in publicis tabulariis repositum asseramus; tametsi apud Augustinienfes, Coronelli Codicum haeredes, Congregationum Diurna, Judiciorumque exempla etiamnum asserventur?

Supercilioso contemptori ora verberat Didacus Alvarezus, Archiepiscopus Traneusis, quem rerum istarum minus conficiunt nemo dicit. Is quippe cap. 33. Historiae Pelagianae, quam anno 1629. publici juris fecit, Congregationum istarum Acta in publicis Supremae Inquisitionis Romanae scriniis servari monet. In Hispania, inquit, anno 1594. Vallisoletana suscitata fuit eadem, qua Lovanii Controversia nota erat circa Praedestinationem & Gratiam, & ad sacrum Tribunal Inquisitionis generalis illius Regni delata; & postmodum ad Sanctam Sedem Apostolicam, & de ordine felicitis recordationis Clementis VIII. a doctissimis Theologis, ad id deputatis, distincte examinata; & postmodum in praesentia ejusdem Summi Pontificis, ac successoris illius Pauli V. felicitis etiam recordationis, totiusque Senatus Inquisitionis Supremae inter partes per plures annos discussa, ut ex Gestis Ecclesiasticis, quae in Archivo ejusdem Supremae Inquisitionis conservantur, apparet. Iis fidem adstruit Jacobus Boonen Mechliniensis Archiepiscopus in Scripto, ante annos quinquaginta, & eo amplius elucubrato, ubi meditati Diplomatis Pontificii Autographum, quo vel uno fiat Actorum, ac Censurarum omnium summa, in Vaticani Tabulario repositum contestatur. Paulus V. inquit, Bullam componi iussit, cujus habeo exemplum; & Autographum in Archivis Pontificiis Romae asservari, fide dignissimi testes affirmant. Quod ergo ad Augustinienium Romanorum scriinium vulgo provocent eruditi, id in causa est, quod illic conspici, ac etiam exferri commodius possint, quae alibi claustris, & fera cohibentur.

Jam quanti Acta illa faciant Romani Pontifices, quam ad decidendas agitatae toto decennio controversias utilia reputent; Orbi probatum voluit Innocentius XII; dum ab Academia Lovaniensi per Epistolam rogatus, ut de gratia se ipsa efficaciter, & gratuita electorum Praedestinatione sententiam diceret, respondit Brevi Pontificio die 6. Februarii 1694. Non arbitrari se opportunitatem, ut in praesentia haberetur exactior illa de Divinis Auxiliis tractatio, quae a Praedecessoribus suis Clemente VIII., & Paulo V. instituta fuit: satis videlicet innuens, Apostolicam Sedem, si quando ea de re iudicium ferre contingerit, meditatae inibi sententiae rationem in primis habituram.

Ad rectum funiculum addit Actorum osor, ea inquam, non ante a Thomistis laudari coepit, quam humanis rebus exempti essent quotquot sacris illis Congressibus interfuerant Cardinales, & Consultores; nimirum ut furdus agerent testimoniis, suasque liberius nuntias divenderent. Sic enim ille constituit, anno 1630, quo primum Salmanticenses strictioris instituti Carmelitae Acta laudantur, ac multo magis

(1) Supra §. 2. (2) Quae, 2. cap. 1.

gis anno 1637, quo eadem illa Joannes a S. Thoma novam in lucem explicavit, cognitur neminem in vivis fuisse, qui suppositionem, & fraudem deprehenderet. (1) Quam infeliciter calculum ponat, argumento mihi erit Antonius Zapata Cardinalium unus, quem ad annum usque 1638. ævum produxisse, notant Ciaconii Continuatores in ejus Historiae Synopsi. Antonius Zapata de Cisneros supremum diem obiit in Hispania, die 6. Maii, anno salutis 1638. ætatis suae 86. Quin, quod notandum magis, agebat is in Hispania, & supremæ Inquisitionis senatui praeerat, quo tempore scriberent Dominicani, & Carmelitae; ut hinc videas, illos sub ejus, ut ita dixerim, oculis Acta laudasse, qui rerum inibi gestarum pars magna fuerat, nec multis, ut ajunt, testimoniis causam egisse. Thomistas in laudandis Congregationum Actis nihil veritos literarii quondam certaminis spectatores, nec provida mora struendis mendacis consuluisse, dicent profecto, qui libellum memorialem, (2) ab universo Praedicatorum Ordine Paulo V. anno 1612. exhibitum, legerint; cujus vix ulla pagella est, in qua non Actorum mentionem ingerant. Ut quid enim viros in Congregationem Auxiliorum quondam ascitos pertinuissent, qui ad Acta Praesidem provocabant? Equis etiam certo statuat, Censuram neminem ad annum illius sæculi trigesimum, aut etiam trigesimum septimum ævum produxisse; cum multos ex iis invenire liceat, quorum nobis supremam horam nulla monumenta testantur? Certe vitales auras Trani ducebat Alvarezus, Disputatorum unus; anno 35. ut apud Ughellium (3) legere est: supremi Quaestoris munus obibat in Hispania Zapataus anno 38. ut Ciaconii Continuatores observant: Societatem anno 40. moderabatur Mutius Vitellescus, qui suas etiam in illa celebri concertatione partes habuerat, ut admonet Allegambius. (4) Quid-ni quoque Consultorum aliqui, quorum nobis summa dies ignota est, ad eas usque metas mortale contubernium produxissent?

Levi illa adversus Congregationum acta in universum praemissa velicatione, conceptam Bullae Pontificiae ideam cumulatus aggreditur Leodiensis Epistola confarcinator. Qua da re ne plura dicamus hoc loco, vetat uberior hujus argumenti tractatio, habita lib. 4. cap. 18. 19. 20. 21. ubi nugatoris illiutricas, & cavillationes occupamus, tractandisque velut ex digito, quam infeliciter in censendo calculum ponat. Superest unicum, quod hic paulo distinctius exponamus, ne quae forte nubecula caelum obnubilet. Agedum, acuti criterii homo, quid tibi tuus adversus Diploma delineatum Mercurius aspiraverit, libere proferas. Dicit vequit. (inquit pagina 41.) Diploma Pontificium; jubente Paulo V. instructum esse. Ubi nam enim quidquam ejusmodi ab eo mandatum invenire liceat? Id quidem Praedicatorum affirmant; at dissentitur Jesuita, ajuntque, Paulum V. praedeterminationem physicam dubio procul damnaturum fuisse, si quod Diploma Pontificium edidisset. Quibusnam ergo praestanda fides? Iis profecto praestanda, iis sine controversia assentiendum, qui quod ajunt, productis instrumentis, evincunt; non qui pro arbitrio fabulantur, & garrunt. Porro adumbratae Bullae Pontificiae exemplar, nedum ex Secretarii Commentariis erutum produnt Praedicatorum, verum etiam illud ipsum, mandante semel, & iterum Paulo V., instructum ostendunt. (5) Rescriptum Pontificium ex integro dedimus lib. 4. cap. 19., cujus pauca ista hoc loco sufficiant: Di piu noi il modo, che li parerà se deve tenere in formar la Bulla, o Costituzione, che s'averà da fare; & in particolare se nella narrativa s'averà da far menzione d'autori, che abbino stampati libri in questa materia; se delle due Religioni di San Domenico, e Gesuiti; e di quel più che li occorrerà d'avvertire, e ricordare. Hoc est: Noset insuper methodum, quam putabis observandam in Bulla, qua instituenda erit, seu Apostolica Costituzione; Et peculiariter, An in Praefatione fieri debeat mentio Doctorum, qui de hoc argumento libros ediderunt, & utriusque Ordinis S. Dominici, & Societatis; & quaecunque existimabit digna, quae observentur. Quare sponte sua concidunt vitilicitationes omnes, ac tricae, quibus probandum sibi sumit Leodiensis Scriba, certum tempus definiti non posse, quo quidquam de instruendo Diplomate jufferit Paulus V. Bis illud ab eo justum diximus loco laudato: primum quidem post habitam Congregationem die 8. Martii 1606. ubi universi Cardinales (Bellarmino Jesuita, & Perronio Henrici IV. Oratore duntaxat exceptis) causam solenni iudicio definiendam pronuntiaverant; atque id quidem generatim omnibus Consultoribus iussit, ut latus Censuras ad certa capita reducerent, & instruendi Pontificii Diplomatis methodum delinearent. Postmodum idem ipsum duobus Archiepiscopis, & Secretariis distincte mandatum die 23. Novembris 1606. ut collatis secum studiis Bullam ederent. Suam igitur ludit operam novus monitor, dum omnes exilis ingenii nervos intendit in spurii, ut putat, operis fabricatore detegendo. Hoc illum levavimus onere, ne figmentis figmenta superstruat, novoque absurditatis genere Diplomatis specimen, in quo

Serry Tom. I.

d de

(1) Legi supra §. 3. (2) Extat in Append. (3) Italia sacra, (4) In Bibl. (5) Immo sunt qui fere vicies commemoratum Pontificis Mandatum asserunt: quod olim forsitan discutendum veniet.

de Clementis VIII. obitu, deque Pauli V. primis in Apostolica Sede laboribus sermo venit, anno 1600. fabricatum obtrudat.

At fluctuabat, inquit, (1) animo Paulus V., solutis etiam Congregationibus [quo tempore Diploma Pontificium meditatus dicitur]: Concilii quippe Tridentini Commentarios, ad quaestiones de Divina Gratia spectantes, Cardinali Perronio evolvendos tradi iussit initio Mensis Julii, ut is sua ad Henricum IV. Epistola fidem facit. Fluctuasse tunc Paulum, negamus omnino; nec enim quod eos Tridentinae Synodi Commentarios Perronio tradi iusserit, fluctuantis animi indicium est, sed prudentis, & cauti; ne quid minus discussum, minus elaboratum obtendi posset. Suspiciari quippe primum est, Perronium, cui non alius tunc, nisi Jesuitis adfavendi, & declinandi iudicii Apostolici animus erat, (sic enim in mandatis habuerat) difficultatem aliquam, scrupulumve ex Tridentino Concilio Pontifici optimo injecisse, ut interim moras neceperet; cui ut indulgeret optimus Pater, eos illi Commentarios tradi voluit. Ceterum nihil hac Pontificem commovisse, nihilque a studio Cardinali tandem inventum, quod meditatam definitionem morari posset, inde liquet, quod post transactos circiter menses quinque, qui evolvendis Synodi Commentariis fatis erant, Diploma Pontificium a duobus Archiepiscopis, ac Secretariis constari iusserit; sic ut de Molina penitus actum fuisset, nisi intercedentes occasione Veneti Interdicti politicae rationes obsuissent. Qua de re suo loco diximus.

Quam vero turpiter Scriba Leodiensis hallucinetur, dum Concellitis suis persuasum ait, *Paulum V. praedeterminationem physicam dubio procul damnatum fuisse, si quod Diploma Pontificium edidisset, cumulate fatis ostendimus sub Historia finem*. Ubi illos usque adeo de lata in Molinam suam a Paulo V. damnatione sibi male confisos demonstravimus, ut quoties de petenda meditatae definitionis promulgatione tractatum est, pedem toties retulerint. Ita scilicet illos damnati Molinae conscientia mordet! Quamquam etsi quod ait ille persuasum Jesuitis esset; cruda nimis, ac jejuna persuasione alerentur; repugnantis scilicet universis tradita causa praedictis.

Non abimili cavillandi prurigne Autographum Canonum damnandae doctrinae vellicandum sibi sumit Pseudo-criticus noster; (2) Canonum, inquam, quos Paulus V., solutis tandem Congregationibus, ex variis antea actorum iudiciorum Censuris, a Consultoribus edi voluit. Hoc nos in Coronelli tabulis legimus, quatuordecim pagellis comprehensum, propriis Consultorum Chirographis obfirmatum, ut in Appendice (3) representamus; cujus authenticam nemo qui viderit, nemo qui legerit, vertet in dubium. Jam quid in eo omnium absolutissimo Autographo cavillari libuerit Censori nostro, paulo distinctius observemus.

Constat, inquit ille, (4) ex ipsa Societatis hostium confessione, *Paulum V. post solutas statim Congregationes Censuris iussisse, ut sua singuli iudicia scripto mandarent, eaque sigillo obfirmata sibi traderent: quod & illi mense Julio anni 1607. executi sunt. Qua ergo ratione invenum in Coronelli Commentariis horum iudiciorum Autographum dici potest? Potest plane, ac citra miraculum, modo scilicet supponamus, quod ipsa rei ratio fatis postulat, Paulum scilicet, acceptis, Iesuisque Censuram iudicis, eorum tandem Autographum in publicis Congregationis tabulis reponendum Secretario dedisse. An non id, amabo, diligentia Pontificis postulabat, ne Autographa lapsa temporis exciderent, praecipuaque gravissimae Controversiae documenta perirent? At ne illo quidem ad consultandam nugacem argutiam responso egemus, per se licet satis obvio. Fallitur quippe incautus cavillator, seque in hac Auxiliorum Historia minus decoctum ostendit, dum Censuram iudicia statim, solutis Congregationibus, sub sigillo Pontifici data, cum damnandae doctrinae Canonibus, quatuordecim pagellis in Autographo comprehensis, promiscue confundit, ut nodum in scirpo quaerat. Sunt haec enimvero inter se plane distincta, ac distinctis post solutas Congregationes temporibus elaborata, uti libro IV. cap. 18. cumulatius scripsimus. Legat, qui Scriptoris caspitationem nosse velit.*

Neque vero se acutioris criteri, aut integrioris fidei virum dedit, dum doctissimos viros, Ludovicum a sancto Amore, & Joannem Mabillonium, in eo exscribendo Autographo minus consentientes observat, veritique ludubrio. Dominus a Sancto Amore, ait ille, (5) *hujus Censurae Autographum, & Consultorum Chirographa Roma se vidisse, ait, & ad hujus instrumenti fidem transumptum manu propria exscripsisse, quod ad Diarii sui calcem typis edidit. Profertur similiter P. Mabillonius in Museo Italico tomo I. pag. 93. Roma se in Augustinianum Bibliotheca vidisse omnia Acta Autographa Congregationis de Auxiliis. Atque idcirco uterque ex aequo putat, visum a se Censuram, de qua hic agitur, Autographum instrumentum. Constat nihilominus, non unum, idemque ab utroque scriptum inspectum esse. Etenim juxta transumptum D. a S. Amore Julius Sanctutius, Episcopus Agathensis, quinque damnandis propositionibus sub-*

(1) Pag. 15. (2) Pag. 26. (3) Num. XIII. (4) Pag. 26. (5) Pag. 27.

scripsisse legitur; ac juxta Mabillonii exemplar duodecies subscriptisse perhibetur. Juxta transumptum Domini a Sancto Amore Dominus Bossutius duodecies subscripti, ordine ultimus; e contra juxta Mabillonii exemplar idem ille Bossutius ante P. Plumbinum, & P. Coronellum Augustinianum perpetuo subscripti. Non ea porro aberrationes ille sunt, ac dissonantiae, quae Scribis oscitantibus casu accidant: ac satis idcirco evincunt, non unum, idemque a Domino a S. Amore, & P. Mabillonio inspectum Censuram hujus instrumentum. Uterque tamen visum a se autographum existimavit: alterutrum ergo eo in capite delusum fateri, necessum est. Sed & jam demonstrabo, utrumque perinde delusum esse.

Siccine Viros eruditos speciosae dissonantiae obtentu ludere libuit, ut lectoribus nimium credulis illuderetur? Mabillonium (ut de altero, sua etiam laude digno, nihil dicam hic) novit litterarius orbis Virum, si quis unquam, in dispungendis codicibus manuscriptis emuncta naris; cui detritas, & interpolatas merces pro genuinis venditare impossibile sit. Is visa a se, Romae dum degeret, *Omnia Acta Autographa Congregationis de Auxiliis sub Clemente VIII. & Paulo V. profertur in Museo Italico; (1) quod vel unum, causa, quam hic agimus, conficienda fatis esset. Quis etenim experientissimo manuscriptorum codicum Cognitori, ab omni partium affectu soluto, fidem abneget? Negat Monitor. Mabillonium una cum Doctore clarissimo delusum ait, nihilque hujusmodi quidquam a Consultoribus scriptum obtendit; quod minus inter se se amorum transumpta consentiant. Pessima fidei coram Orbe litterario te postulo, Scriba confidentissime: Mabillonio (2) audacter imponis; affingis, quod nusquam illi venit in mentem. Ubinam tot librorum, & operum, quibus Republicam litterariam ditavit Vir meritissimus, tuam illam quatuordecim pagellarum Censuram ex integro relatum invenisti, ut illum cum Doctore Santamorio committeres, & utrumque speciosis subscriptionum antilogis, ac dissonantiis turpiter luderes? Mabillonium ad hujusce Epistolae rapsodiam laciniam non mediocriter obstupuisse scimus, dum hac illi die 2. Novembris ab amico Parisiensi exhiberetur. Nihil a se ex Actis, quae Romae viderat, Congregationis Auxiliorum aut vulgatum usquam, aut etiam Romae transcriptum, contestatus est. Meditatae duntaxat Bullae Pontificiae Pauli V. exemplar a se descriptum affirmavit, cujus tamen nusquam suorum Operum mentionem ingesserit. Quis itaque non miretur, eo usque publici Scribae fiduciam devenisse, 1698. ut & magni nominis Viro, & publicae fidei tam audacter imponeret?*

Sed nec minus hoc loco notanda venit tricandi libido, dum nullum hujusce quatuordecim pagellarum Censurae Autographum probat esse, quod in aliquibus fortasse minutis duo Virorum illustrium transumpta dissentirent: quasi qui libros de Civitate Dei, aut si forte mavis, contra Julianum, ab Augustino nusquam elaboratos effutiret, quod in illis exscribendis Amanuenses nonnullis in vocalibus aberrassent. Ecquid enim, amabo, refertret, si Julium Sanctutium, Episcopum Agathensem, quinque tantum scribentem referret unus, duodecies alter? Si Bossutium ante Plumbinum, & Coronellum notaret ille, iste postoneret? Si Episcopum Bituntinum Hieronymum Pallantierum vocaret ille, iste Hieronymum Pallantum, contacta scilicet seriptione. Essent haec profecto Amanuensium, quibus ad exscribendum usi fuissent, leviores aberrationes, seu etiam nugae, quae nihil Autographum laederent, nec nisi a professo vitiligatore ad minuendam primigenii Codicis fidem obtrudi possent. Nos quidem in ipso, quod Romae legimus, & exscripsimus, Censuram Autographam Episcopum Agathensem quinque duntaxat prioribus vicibus subscriptum observavimus: nec mirum, cum die 8. Novembris, qua quinta hujus examinis Congregatio fuit, aegritudine detineri coepit, & ab hujus anni congressibus abesse, ut passim in Actis legere est. Bossutii Chirographum extremum ubique locum obtinet. Bituntinus Episcopus quandoque Pallantier, quod illi vernaculum nomen erat, saepius Pallantierus, latini idiomatis aemulatione, subscribitur. Quae omnia in subiecto ad calcem Historiae transumpto scrupulosius aemulati sumus. (3)

Audi nunc, quid is in Quaestionibus scripserit, ut tam supinas aberrationes, priori nostra Editione confutatas, novis coloribus obduceret. Admissum in laudando Mabillonii codice errorem agnoscit; quamquam, ut est illi subterpuralia palinodia, lapsus aegre admodum deprecatur. *Fieri potuit, inquit, (4) ut mihi error obreperet.* Potuit plane; quandoquidem obreperit re ipsa. Ne tamen petita sua ex Codicum dissonantia difficultas prorsus elisa videatur, subjungit, memoratum a se Codicem, sin minus a Mabillonio ad ipsum Archetypum Romae descriptum, saltem ad alterius Codicis fidem expressum esse, quem D. Philbertus Academiae Rhemenis quondam Professor, Mabillonii esse dicebat; atque ita, quocumque res cadat, id demum certo constare, laudatum Codicem ab altero Santamoriano diffi-

Sery Tom. I.

(1) Tom. I. pag. 93. (2) Mabillonio adjuvandum Cardinalis de Noris, qui Acta omnia a se lecta profertur, in *Vindicis Aug. cap. 6. Vide infra S. 8. (3) In Appendice Num. XIII. (4) Quae 2. Cap. 5.*

dere, seu Philberti re ipsa sit, seu forte Mabilionii. O lepidum Disputatorem! Argumento ex Codicum dissonantia deducto subesse aliquantula difficultas, si ambo a Viris eruditissimis, & integerrimæ fidei ad Romanum Autographum descripti ponerentur; sic enim vix capi posset, quæ forte idem ab utroque Instrumentum expressum esset. At ex quo jam certo liquet, attributum Mabilionio Codicem, & ab eo, ut fingebatur, ad Romani Autographi fidem descriptum, Mabilionii re vera non esse, immo nec Philberti, qui eum, non ut suum, aut a se Romæ descriptum evulgabat; sed ignoti omnino scribe, qui an Autographum, an mendosum exemplar exscripserit, ignoratur; insulsum profecto fuerit, Archetypum Instrumentum dissonantium exemplorum obtentu in dubium revocare.

Gravioris profecto momenti videri posset, quod tertio, ac quarto loco ponit Leodiensis Scriba, si facti veritate niteretur, nec suis ipse perspicillis lusus esset. „ Archiepiscopus Armachanus, ait ille; „ (1) nec non Joannes Baptista Plumbinus duodecies hoc in Codice Molinæ damnationi subscribunt; „ cum e contra prior, si Coronelli compendio promulgato, ac Francisci Pegnæ Diario fides est, in „ omnibus pene congressibus a reliquis Molinæ Censoribus disenserit, ac damnandarum etiam propositionum Catalogo, a Secretariis tandem digesto, subscribere renuerit, ut ex ejus ad Paulum V. „ Epistola notum est: alter Censoris munus non obiret sub Paulo V., aut certe eos inter a Coronello, „ lo, & Pegnæ minime numeretur. „ Verum aberrat toto cælo, falliturque turpiter, dum hæc scribit. Archiepiscopus Armachanus constanter, ubique, ac semper Molinæ Censoribus consensisse, clamant univæra Congregationum Acta toto passim libro III. & IV. a nobis deplorata, atque laudata: clamant Coronelli Compendium, & Francisci Pegnæ Diarium, quorum ille fidem appellat; ubi Episcopus duntaxat Aquilanus, & Bovius Carmelitarum Regens, quandoque etiam Procurator Augustinianus à cæteris Censoribus dissentientes adnotantur. At suis perspicillis delusus Leodius explorator, ac yanis præjudiciis obsecutus, Archiepiscopus Armachanus loco Episcopi Aquilani legit ex octantia; aut ambos in unum promiscue confudit, ut suam commodius fabulam luderet. Legat pervulgatum Coronelli Compendium, quisquis stupendam Critici nostri caspitationem experiri velit, simulque Quæstionum Tractatorem rideat, qui nos ab instituto digressos ait, dum Armachanum pro Aquilano acceptum ostendimus.

Næque vero digesto ab Secretariis damnandarum propositionum catalogo subscribere renuit Illustrissimus Armachanus, quod Molinam absolvendum existimaret. cum & ipse prolixum etiam damnandarum propositionum Elenchum, ab altero sola methodo, atque ordine diversum, elaboravit, & ad Paulum V. una cum Epistola in objectione laudata transmiserit; sed quod servatam a se in ordinandis propositionibus methodum probaret magis, uti libro IV. cap. 19. videre licet. Nec satis ab insignis fallaciæ culpa vindicari potest Pseudocriticus noster, qui Illustrissimus Archipræfatus ad Paulum V. Epistolam (qua se digesto a Secretariis propositionum catalogo subscriptionem negasse admonebat) ex integro protulit, ut illum eo fucio Molinæ Patronis adnumeraret; damnandarum vero Molinæ propositionum Elenchum, simul cum Epistola transmissum, atque silentio pressit, ut illuderet, neve Molinam suam a meritissimo Viro damnatum proderet, a quo illum absolutum commentus erat. At nihil illi studiosa taciturnitas profuit; cum hac ipsa in Epistola erroneas Molinæ propositiones, a seipso digestas, transmissasque palam innuat. En Epistolæ verba, ut existat in Actis.

BEATISSIME PATER.

Transmitto ad Sanctitatem Vestram Capitula illa, quæ etiam ex judicio Congregationis sanam, & Catholicam de viribus Liberi Arbitrii, & Auxiliis Gratiæ Dei doctrinam continent. Adjungo propositiones, continentibus de eodem argumento erroneas assertiones, prout in Congregatione vixisse, revixisse, lectæ, relectæ, & diversis vicibus sunt correctæ. Quod autem noluerim subscribere propositionibus sic digestis, prout eas Sanctitati Vestre presentabit R. Pater Secretarius, præcipua, eaque prægnans ex parte ratio est, quod cum in his extra Congregationem, saltem me non presente, aliqua sint mutata, alie additæ; ex iis, quæ sunt mutata, atque additæ, quedam sunt, quæ (si quid valet judicium meum) Doctoribus extra Congregationem hæc Theologis nec satisfactionem adferant, nec ferre poterunt oppositionem, si contingat circa ipsas fieri. Ut demantur aliqua propositiones, non repugno; modo non sint ex principalioribus: immo, pro judicio meo possent, ac deberent compendiosius ordinari, cujus rei formam aliquam postremo loco hic subijcio, cum osculo pedum Sanctitatis Vestre. Devotissima, & humillima ejus Creatura, Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Jam

(1) Pag. 28. & 30.

Jam Plumbinum quod attinet, fuisse illum sub Pauli V. Pontificatu Consultoris officio functum, æque constat. Ejus identidem in Actis illorum temporum nomen occurrit; suffragia ab illo lata distincte plerumque memorat Coronellus; ut plane mirari liceat recentioris vitiligatoris dicacitatem, qui rem omnium compertissimam, ac in ipsa solis luce positam, pro ingenita nugandæ libidine vertat in dubium.

Foret hic de pervulgato Coronelli Compendio dicendi locus, quod is non alia de causa spurium putat, (1) quam quod præconceptis Sociorum de Molinianæ causæ merito fabellis, ac nugis contrarium norit. Verum quia eas toto passim opere fabulas aggressi sumus, certisque probavimus documentis, quantum ipsi ea parte fallantur, & fallant, actum reagere non est opus. Circumferuntur hujusce Compendii Editiones plures, quarum exemplaria nonnulla ad Autographi fidem recognovit, ac suo etiam chirographo communiavit Angelicæ Bibliothecæ Præfectus. Unum addam, nec addidisse pigebit, Romæ, ubi inspicere Tabulæ possunt, exhibitum iri, quisquis Coronelli Compendium, aliæ Censorum scripta judicia pro spuris, atque confictis instrumentis haberi vellet. Hinc Vir clarissimus Libertus Hennebellus, Lovaniensis Academiæ Doctor Theologus, & ad Sedem Apostolicam Deputatus, in sua Paralleli Consultatione, quam Romæ supremis fidei Quæstionibus obtulit, Censuras Belgicas, magno in Auxiliorum Congregationibus pretio habitas ostensurus, testes ipsos æmulorum oculos appellat. (2) Cui sane minus tutum erat, in factis, quod & contrectari manibus, & lustrari oculis poterat, ad ipsa sensuum testimonia provocare coram ipsis supremis causæ Judicibus, atque ubi indictum experimentum fieri commode posset, si quid ea parte dubii foret. (3) Immo vero, inquit, quod rei caput est, coram Paulo V., & gravissimo selectorum Cardinalium, Consultorumque Concessu, P. Gregorius Nunnus Coronelli Ordinis S. Augustini, Secretarius Congregationum de Auxiliis, jussus compendio referre ea, quæ sub Clemente VIII. gesta erant, scienque, quo in pretio semper fuisse Censuram Lovanionis apud Patres Congregationum; sub Clemente VIII. habituram, in ipso Relationis exordio palam dixit, Doctores Facultatis Lovanionensis ad unam, & triginta Professorum Societatis propositiones dignam adhibuisse Censuram. Exstat proflus integra hæc Relatio in Bibliotheca Angelica de Urbe ad S. Augustinum, una cum Votis plurium Consultorum, qui eandem pariter predicarunt. Nolim, mihi quis hæc in parte credat, sed oculis saltem suis illa legentibus in predicta Bibliotheca Angelica credere dignetur.

Sed de Nunnio Coronello, uti & de Francisco Pegnæ, de Thoma de Lemos, ac de Innocentii X. Decreto distinctis Paragraphis agemus, ut Critici Leodiensis cavillationes cumulatus exagitemus.

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

De Card. Ludovico Madruvio, ejusque M. SS. Item de Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano, & Hieronymo Baptista de la Nuzza Episcopo &c.

LUDOVICUS MADRUTIUS, Christophori Madrutii ex Patre Nepos, Tridentinus Episcopus fuit, quo tempore Concilium ibidem habebatur. Quanta apud Patres omnes existimatione fuerit, ex Cardinalis Palavicini Historia notum est. Partes plurimas habuit ad resarciendam Ecclesiæ disciplinam, sacrosque condendos Canones. A Pio IV. ob eximia pietatis, & doctrinæ merita Cardinalis creatus, publicas Concilii acclamationes obtinuit, cujus Decretis, ac Definitionibus ultimo subscripsit. Ter in Germaniam pro fidei rebus legatus est secundo semper exitu. Pater pauperum vulgo dictus, quos statim diebus commensales excipiebat. A Clemente VIII. ob plenissimam doctrinam in Concilio Tridentino agitata cognitionem primus Auxiliorum Controversiæ Cognitor datus, munus obiit pari eruditione, ac diligentia. Tentatæ Prædicatores inter, ac Jesuitas amicæ compositionis sedit Arbitrator: de qua cum demum coram Summo Pontifice dicturus esset, præcipiti morte sublatus est die 20. Aprilis 1600.

Codices manuscriptos, quibus suam de Prædicatorum, ac Jesuitarum opinionibus sententiam consignavit, Clementi VIII. moriens tradi jussit; quos ille tanta existimatione habuit, ut ad maturandam Molinæ damnationem illorum præsertim lectione fuerit incitatus. (4) Causam enim Prædicatoribus adjudicabant; eoque majorem apud eruditos omnes auctoritatem obtinebant, quod a Viro editi essent, qui tantas in Concilio Tridentino partes habuerat, ubi affines admodum controversiæ tractabantur.

Exstant in Angelica Augustiniana Bibliotheca cum hac Coronelli Secretarii Prænotatione: Hæc omnia Scripta spectant ad causam Controversiæ, exortæ inter PP. Dominicanos, & Patres Societatis, Ex quibus

(1) Pag. 38. 39. (2) Lege supra §. 1. (3) Exstat in Appendice Num. XXXI. (4) Excerpta quedam habentur in Appendice Num. VIII.

quibus facile potest constare, quod fuerit hac de re iudicium Illustrissimi, & Reverendissimi Domini S. R. E. Cardinalis Ludovici Madrucci.

DE PETRO LOMBARDO pauca hæc habemus in Fastis Academicis studii generalis Lovanienſis, Auctore Valerio Andrea Lovanii denuo editis anno 1650. p. 130. „ PROMOTIO ANNI 1594. II. KAL. „ SEPTEMBR. Petrus Lombardus Hibernus, Primus in Schola Artium anno 1575. Post Præpositus „ Ecclesie Cathedralis Cameracensis, & Archiepiscopus Armachanus, totiusque Hibernie Primas Romanæ anno 1601. electus, & in virtute obedientie munus illud suscipere coactus. Moritur ibidem „ circa annum 1624. Scripsit de Regno Hibernie, Sanctorum Insula, Commentarium, a morte Auctoris evulgatum Lovanii anno 1632. in 4.

Scripta duo, ab eo exarata, huic volumini inferuntur: Unum, in quo, præmissa errorum circa gratiam narratione, definiendæ Controversiæ necessitatem urget; estque in Appendice numero XII. Alterum est, adumbrata Bullæ delineatio, quæ numero XV. habetur.

DE HIERONYMO BAPTISTA DE LA NUZA, cujus calamò exarati libelli duo supplices exhibentur num. V. pag. 37., & num. XVII., hæc habet. Is natus in Aragoniæ oppido, Ixar dicto, parentibus Michaelæ-Baptista de Sessan, & Catharina de la Nuza, Ordini FF. Prædicatorum juvenis admodum se addixit. In eo Theologiam docuit Cæsar-Augusta, præcipuaque obiit munera. Provinciale Magistratum secundo gerebat anno 1616., cum ad Balbastrensem Episcopatum evectus est, a quo ad Albarracinenſem translatus anno 1622., vivere desiit anno 1625. Cætera continet Elogium, quo illum decoravit Capitulum generale Ordinis FF. Prædicatorum, quodque illius Homiliis præfigitur.

ELOGIUM VITÆ, MORTIS, DODORUM.

Ac virtutum heroicarum venerabilis Præfulis Hieronymi Baptistæ de la Nuza, Romæ impressum cum licentia SS. D. N. Urbani VIII.

In Actibus Capituli generalis, quod ibidem celebravit FF. Prædicatorum Religio 2. Junii anno Verbi Incarnati 1629. ad faciendam electionem Reverendissimi sui Generalis

M. F. Nicolai Rodulphii: quod sic habet,

IN Provincia Aragoniæ obiit Albarracini Reverendissimus Dominus, Frater HIERONYMUS BAPTISTA DE LA NUZA, Episcopus Balbastrenſis, & Albarracinenſis, Filius Conventus Valentini, qui in omni vita sua Constitutiones Ordinis ad unguem servavit; jejuniis, catenisque ferreis carnem maceravit, orationi, & sacre lectioni quotidie vacavit; prophetico spiritu claruit; secreta cordium, multorumque statum in Purgatorio, egressumque ab eo cognovit. Dono sapientiæ, & intellectus in sacris præcipue Scripturis exponendis divinitus [Sancti Ludovici Bertrandi, ejus Magistri, testimonio] eximie præditus fuit; quod ejus opera præclare demonstrant. Quinquaginta annis in prædicationis munere consumptis, non semel facie splendidus apparuit: Paupertatem in Episcopatu summopere coluit, omnibus suis usque ad proprium lectum pauperibus erogatis, Sanctorum Episcoporum æmulator; ab omni lethali labe immunis, Confessario teste: septuagenarius in magna sanctitatis opinione ex hac luce migravit.

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

De Gregorio Coronello ejusque M. SS.

Gregorius Nunnus Coronellus Ordinis S. Augustini, a Clemente VIII. Congregationis Auxiliorum primus Secretarius institutus, omnes difficillimi officii partes tanta eruditione, diligentia, fide obiit, ut communi appellatione Sacrorum Comitiorum Genius vocaretur. Qualis ille fuerit, ex Augustiniani Ordinis monumentis discimus. In Lusitania Sacris Litteris excultus, Sacre Theologiæ Doctor nobilis, plenus meritis, & integerrimæ vitæ fuit. Magnus in primis inter suos, quorum status immutato, in Gallias secessit, factusque est Concionator Ducis Sabaudie. Deinde Romam vocatus, ibidem multis annis Theologiam professus, & Clementi VIII. carus, ab eodem in Congregationis de Auxiliis Secretarium, & Consultorem assumptus, & in Theologorum de qualificandis, ut ajunt, Propositionibus album adscriptus fuit. A Paulo V. anno 1607. Episcopus Castellanenſis, & Hortenſis electus, dignitatem omni submissione, & modestia recusavit, inquiens, in tali ætate, qua sexagesimum annum attigerat, non esse tempus onera suscipiendi, sed deponendi, dum ad

mor-

mortis fossam transiliendam se compararet. Variis Scriptis, typis editis, Rempublicam litterariam locupletavit.

Congregationum Acta universa, Disputationes, Judicia, Censuras digessit pro Secretarii debito. Privatas etiam de quætionibus ibidem controversis tractationes elucubravit; quibus, ut Consultoris officium postulabat, sententiam dixit. In colligendis vero disputationibus, coram Clemente VIII., & Paulo V. celebratis, tantam adhibuit diligentiam, ut experientissimos amanuenses conduxerit, qui eas festinanti calamo ex dicentium, ac disputantium ore exciperent.

Gregorium Coronellum nemo hæcenus infamaverat; nemo illum & Societatis hostem, & in gerendo Secretarii munere minus æquum commentus erat. Ipsi etiam confidentioribus hujus Historiæ Depravatoribus visum fatis, si ne victi meritiſſimi Viri suffragio viderentur, horum alterrum responderent; vel nesciri certo posse, quid ille suis tabulis scriberet, vel illum Molinæ opinionibus adfavisse. Verum novissimus Leodiensis Epistolæ consarcinator fossam audacius transiit, suorumque Concillitarum responsa minus probans, furit in Coronellum. (1) Congregationum Commentarios, ejus nomine laudari solitos, nedom supposititios habet, (quam ob rem digne pro suis meritis vapulat Parapho sexto) sed & illam invidia, livore, odio in Societatem implacabili obreptum ait, qui suis etiam in obeundo Secretarii munere partibus minus æque fungeretur. Quis ea convicia probet; ac non potius intelligat, cruda esse miserorum solatia, qui ne causa excidisse videantur, Judices suos injuriis, & calumniis occupant? Sed vide hujus Historiæ Depravatorum ingenium. Gregorium Coronellum Molinæ adfavisse, commenti fuerant quondam alias

(2) Petrus a S. Joseph Fulienſis, Paulus Leonardus, Christophorus Ortega: ac tunc quidem erat ille, ipsorum iudicio, Vir probus, partium affectu solutus. At ubi primum intellexit Bellator novus, non adfavisse re ipsa Coronellum, sed repugnasse, Virum illico suis titulis exiit: cepit hæc ipsa die Coronellis iniquus esse, studio adversæ partis occupatus, Societatis professus hostis. Sic nempe Virorum merita, dotes, mores, & omnia pro arbitrio metiuntur.

Vis alia statera dolosa argumenta? Dabit hæc ipsa, quam aggredimur, Auxiliorum Historia. Clarissimum Virum Franciscum Pegnam, Rotæ Romanæ Decanum, de quo nobis post Paragraphum alterum sermo erit, dignis omnino laudibus celebravit Vir e Societate primæ notæ, Sebastianus Saelles in Prolegomenis eruditi operis de Origine, & progressu Tribunalium fidei. Ea scilicet ætate temporum scribebat ille, qua necdum fatis vulgatum erat Pegnæ Diarium; necdum fatis notum, quid de hac celebri disputatione scripto reliquisset. Verum, ubi res in aperto fuit, nullum convicii genus fuit, quo non illum dehonestarent Moliniani hujus Historiæ Tractatores. Nil minus anceps, versatilisque fortuna fuit Thomæ Campanellæ, eorundem quidem laudatorum iudicio. Quot illum conviciorum plaustris oneravit Theophilus Raynaudus in Diatribis, nemo nescit. *Temesi visus sit*, inquit audacissimus Arietarchus, (3) *per aliquod tempus cymbalum mundi; tamen re vera est ignoratissimus; ita ut ne ipsos quidem terminos sive Philosophicos, sive Theologicos intelligeret. Sententias autem invehit non modo a S. Thoma, sed etiam a sensu cujusvis sani hominis adeo abhorrentes, ut despicere potius videatur, quam differere. Hæreses crasse in ejus libris tam multe, & tam inexcusabiles occurrunt, ut mirum sit, adeo pinguem Scriptorem superioribus annis invenire potuisse laudatores.* Suos tamen habuit ante dies aliquot in Societate Laudatores, *Celeberrimique Theologi nomen meruit, qui de Thomisticis dogmatibus pronuntiaret, quo ex tempore visus illis est, physicam prædeterminationem impugnasse.* (4)

Sed absit, ut novellum Criminatorum vel momento dimittamus. Audi alterum, unde prudens criterium probes magis. Univerſa Congregationum istarum Acta, Censuras, Judicia, Documenta, eaque præsertim, quæ Coronelli nomine circumferuntur, pro falsis, ac suppositis haberi vult; multique cavillationibus hoc ipsum demonstrasse sibi videret festivus homo; ac simul tamen Coronellum insectatur, uti Societatis professum hostem, qui multa suis Actibus scripserit, Jesuitis injuria falsa commenta, quibus livorem suum palam effuderit. Quid ergo? Si falso Coronelli nomine supponuntur; cur Coronellum, quod multa in Societatem probra suis Actibus scripserit, insectatur? Mendaces cautos, ac memores esse oportet, ne suis ipsi mendacis implicentur. At Divina vox est, falli nescia: *Mentitur iniquitas sibi.* Et quidem sicubi unquam, hic certe maxime sibi mentitur iniquitas; quæ eadem ipsa ratione salutaris arguitur, quæ potissimum niti voluit. Coronellum enim adverso in Societatem animo occupatum ostensurus Molinianus apologista, sic suæ præludii fabulæ: (5) *Coronel*

dit

(1) Pag. 35. 36. 37. (2) Pet. a S. Jos. in suavi con. disp. 4. sect. 4. Paul. Leon. 1. part. sect. 9. Ortega Cont. 3. disp. 1. qu. 4. arti. 3. (3) S. 57. (4) In supplici Monitione Archiepisc. Rhem. facta anno 1697. (5) Phil. Esli. Encomia August.

deit de ja prevenu contre la doctrine de Molina: il s'en étoit hautement déclaré en Portugal. Hoc est: Adversus Molinæ doctrinam in antecessum occupatus erat Coronellus; suaque in illum præjudicia palam in Lusitania prodiderat. At tantum abest, ut quidquam ille adversus Molinam in Lusitania pronuntiasset, dum prima in illum tempestas sæviit; quin potius certo certius est, procul illum a Lusitania tunc fuisse. Consentiant quippe Augustinienſium Annales, cæterique, qui de hujus Ordinis Viris illustribus scribunt, Coronellum, relicta patria, in Gallias recessisse, quo tempore Lusitanie status immutatus est, seu dum, sublato Henrico Rege, Philippus II. Hispanie Rex Lusitaniam occupavit. Porro quo tempore inde Romam vocatum, inter hujusce Controversie Judices confedisse. Porro quo tempore Lusitanie Regnum ad Hispanos translatum est, anno nempe 1580., nondum erat in Molinam excitatus turbo; nulla in Hispania, aut Lusitania quaestio mota; immo necdum cufus, typisque mandatus CONCORDIÆ liber, de quo tota discordia fuit. Qua ergo, amabo, forte de Molinæ doctrina in antecessum præjudicaverat Coronellus, suaque in illum præjudicia palam in Lusitania prodiderat?

Reponit in Quaestionibus momentosis, (1) Coronellum suos in Molinam animi sensus effudisse, non quidem quo ex tempore Concordia typis data est, sed diu ante; cum nempe Eboensis Academia Cathedralis Theologicam moderaretur. Incallide tamen, & imprudenter; Molina quippe Cathedram Theologicam Eboracæ occupavit a mense Novembris anni 1570. ad mensem Julium anni 1573. ut in Monito ad lectorem ejusdem, ad 1. partem Divi Thomæ Commentariis præfixo, videre est. Non is porro tunc temporis erat Coronellus, cui per ætatem fas esset, grandia sibi fumere, rerumque Theologicarum interiora, reconditamque peritiam affectare, ut in emeritum publicæ Academicæ Professorum insurgeret; cum annum duntaxat 23., aut 24. numeraret. Annorum numerus initur facile: Is enim cadente anno 1607., quo Episcopus Castellaniensis a Paulo V. designatus est, annum Sexagesimum numerabat.

Non asibili fiducia Coronellum Alvaresii cognatum, & amicum dicitur Molinianus Disputator; (2) quo illum affectu, & gratia in partem alteram inclinarum innuat. Probationem desidero; alias pari libertate repofuerim, Antonium Bovium Molinæ partibus addictum, Bastidam, aut si liberit, Arrubalem proxima affinitate contigisse. Ego quidem Coronelli, & Alvaresii genus nescio, nec multum interest (quamquam unum Lusitanum noverim, alterum Castellanicum: unde idem utriusque genus esse, minus verosimile videatur): hoc tamen scio, in causa Dominicanos inter, ac Jesuitas veritate, meliori jure Consultationibus adfuturum Coronellum, Alvaresii licet cognatum, ut fingitur, & amicum, quam Judicio Bellarminum.

Plura adderem, si foret opus, ad meritissimi Secretarii famam ab injuria vindicandam: at calumniis superior est religiosissimi Viri virtus; nemoque audaciori Leodiensi non indignabitur, qui ea in illum probra expulit, (3) quæ in ipsam etiam Apostolicam Sedem, totamque Congregationem facile recidunt. Ecquis enim Coronellum, a Clemente VIII. in Consulorem, ac Secretarium Congregationum idcirco maxime adlectum, audiat, quod in Molinam occupatus esset; nec illico læsam eo scommate Pontificis Majestatem agnoscat? Quis Coronellum Congregationis Censuras ex præconcepito in Societatem odio elucubrasset, elaborasset, recudisse audiat; nec statim eo probro universam Congregationem, cujus ille Decreta, ac jussa exsequeretur, infamatam intelligat? Quam merito ergo hæc in æmulum obrectatorem Augustini in Julianum (4) verba reget doctissimus æque, ac piissimus Coronellus! Cernis, cum quibus tua maledicta sustineam? Cernis, cum quibus tibi sit causa communis, quam nulla consideratione propria pulsare calumniis, & expugnare conaris? Cernis, quam tibi perniciosum sit, tam horribile crimen objicere talibus; & quam tibi gloriosum sit, quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cernis, & tandem tace; Pelagianam linguam tot linguis catholicis deprime; ut venerandis oribus proterva ora submitte.

Manuscriptos Coronelli Codices universos, quorum afferenda authenticæ sextum Paragraphum concessimus, a se lectos testatur Eminentissimus Cardinalis de Noris, cujus unius testimonio, nulla licet alia suppetere, quorumcumque obrectatorum, qui fidem derogare pertinaciter velint, audacia fracta est. De Actis, inquit, plus forte cæteris meliora dicere possem; cum legerim omnia manuscripta Gregorii Nunnii Coronel, Augustiniani Lusitani, qui memoratarum Congregationum fuit a secretis: sed pio silentio religioni liq. In Vindiciis Augustinianis Capite sexto.

Animus fuerat, Appendici inferere Brevem illam Coronelli Actorum Enarrationem, de qua sermonem feci in §. 6. Et si enim Enarratio, illa typis primum mandata fuerit anno 1687. cum Gallico Historiæ

(1) Quæst. 2. cap. 7. (2) Phil. Elf. in Lu. Aug. ff. (3) Pag. 38. Epist. (4) Lib. 1. con. Jul. cap. 4.

riæ Congregationis compendio, & iterum in volumine II. Gallici Operis, cui titulus Traditio Ecclesie Romane de Prædestinatione SS., & Gratia per se efficaci; nihilominus opportunum videbatur occasione prolixioris Historiæ Congregationum illam denuo excudere, sat multis mendis, quibus scatebat, expurgatam. Addebant animos novum, quod nuper accessit, testimonium integritatis, & authenticæ præclaræ istius Actorum partis, quo R. P. Carolus Riccius, Angelicæ Augustinianorum Romanorum Bibliotheca Custos scientissimus, fidem facit, exemplar illius editum concordare per omnia cum originali Codice Gregorii Coronel, quod in illa Bibliotheca diligenter asservatur, cum quo accuratissime contulit exemplar editum, emendavitque laudatus Bibliothecarius in gratiam Viri, magnæ apud Romanos Procere auctoritatis, qui mecum illud una cum authentico testimonio pro sua humanitate communicavit.

Sed, ut ceptum istud consilium postea repudiarem, in causa fuit, quod in hac Historia nihil penè omisſum sit eorum, quæ illa Enarratione continentur. Duo sunt enim, quæ in illa prolixius referuntur. Primum est Examen Quartum viginti Propositionum Molinæ, quod more Rotali haberi cepit 25. Januarii 1601. post mortem Cardinalis Madrutii, apud Cariathensem, & postea apud S. Agathæ Episcopum, cum judicio Congregationis. Alterum est Examen Quintum, quod coram Pontifice Clemente VIII. celebratum est anno 1602. At viginti Propositiones, & judicium, de unaquaque illarum sancitum a Congregatione, totidem omnino verbis referuntur in libro 11. a capite XIV. usque ad XXI. Ad alterum vero quod spectat, Propositiones Molinæ eadem profus habentur in libro 111. Historiæ, ac in Compendio. Quoniam vero judicia, de iisdem lata, aliis nonnunquam verbis referuntur in Brevi Enarratione; ne quid Lector subtractum sibi queeretur, judicia illa ex Coronelli Compendio excerpta atteximus, & margini inscripsimus ad latus eorum, quæ idem Coronellus in Acta integra transcripserat. Porro brevis illa dissonantia, quæ non in rebus, sed in verbis, aut verborum ordine conspicitur, in variis ejusdem Coronelli Scriptis, & in aliorum de iisdem Congregationibus Commentariis, tam illorum fidem non minuit, ut potius augeat, & confirmet: inde enim illud Coronelli a seipso discrimen oriri potuit, quod Acta a se concinnata relegens, & cum aliorum Diariorum, & Commentariis conferens, ab illis mutuatus est, quæ forte illi exciderant, vel aure fallente, & memoria. Ut ut sit, certus sit Lector eruditus, integrum se habere Coronelli Compendium, huic Historiæ insertum, illudque ex collatione cum Originali accuratissime emendatum; ita ut qui deinceps illius fidei, & integritati detrabere ausus fuerit, omnibus se ridendum propinaturus sit.

Porro testimonium Augustiniani Bibliothecarii sic se habet: *Infra scriptus fidem facio, me de verbo ad verbum contulisse hunc libellum cum ipsis originalibus, quæ exstant in Bibliotheca nostra Angelica S. P. Augustini de Urbe, & manu propria emendasse omnia, & singula, quæ a dictis originalibus in eo orantur. Dissona, ipsumque hunc libellum, mediante hac correctione cum præfatis originalibus per omnia convenire. Dat. Romæ hac die 20. Februarii 1699. Magist. P. CAROLUS RICCIUS Augustinianus, Custos Angelicæ Bibliothecæ.*

Id clarissimi Augustinienſium Ordinis gloriæ debebatur, ut in facto confessu, ubi de tuenda, sanciendaque S. Augustini doctrina agebatur, ejusdem Instituti Professor publici Actoris officio desungeretur, qui universo confessu ab Actis, & Commentariis esset; ad ea potissimum statuenda dogmata, quæ uti clarissimus Doctor, extremis Operibus, discipulis suis velut eo asse hæredibus reliquit, ita religiosissimus Ordo filiis suis hæreditaria esse voluit. Sic enim in Generalibus Comitibus, anno 1679. habitis, definitione 13. statutum legitur: *Pro feliciori studiorum nostri Ordinis progressu, ac splendore definitum fuit, quod quilibet ex nostris Religiosis tam privatim, tam publice discens, vel docens, venatur in omnibus sequi, & tueri inconcussam doctrinam SS. Patris nostri Augustini, præsertim in materia de gratia primi hominis, & Angelorum, quod a primo instanti fuerint a Deo creati recti, & proinde bonæ voluntatis. Item de nostris gratiæ electione, & prædestinatione in Christo, etiam ad gloriam, independenter a prævisione nostrorum meritum: necnon de gratia per se efficaci, qua Deus operatur in nobis, velle, & persicere. Cui publico, ac generali Ordinis Statuto faciendum præluferat Capitulum Provinciale, anno 1677. Francopoli in Gallia celebratum; ubi ita a piis, ac Religiosis viris sancitum erat: Nos infra scripti Definitorii Patres statuimus, definimus, & ordinamus, ut quisque in Provincia nostra Theologie, aut Philosophie Professor immaculatam, & inconcussam sanctissimi Parentis Augustini doctrinam, juxta interpretationem fundatissimi Doctoris nostri B. Egidii Romani sequatur, doceat, & defendat: Eisdemque Professoribus inbibemus, ac prohibemus, ne sequantur opinionem Ludovici Molinæ circa Controversias de Scientia-Media, & Concordiæ Libertatis cum Gratia, utpote adversantem, sicut ipse Molina testatur,*

Serry Tom. I.

Di-

Divi Augustini doctrine, atque sententiæ. Secus facientes privamus in perpetuum gradum Doctorum in Provincia nostra privilegiorum. Datum Francopoli in Comitibus Provincialibus 19. Maii 1677.

PARAGRAPHUS NONUS.

De Jacobo Bossutio, ejusque MSS.

Bossutii merita paucis complectitur Epitaphium, ejus Memoriz incisum Romæ in Ecclesia Minorum Gallorum, ad Montem Pincium, extra cancellos Aræ Principis,

D. O. M.

Hic jacet Fr. Jacobus Le Bossu, origine Parisinus, Religiosus S. Benedicti, ex Cœnobio S. Dionysii in Francia, dignitate Sacerdos, gradu Doctor Sorbone, omnibus Pontificibus, sub quibus Romæ degit, carus, sed præsertim Clementi VIII., & Paulo V. propter munus Consultoris, ab eis illi impostum, in illa venerabili Congregatione, quæ de Auxiliis dicta est. Vixit annos 80. Menses quatuor, dies duodecim. Obiit 7. Idus Junii, anno D. 1626.

Is ab alio cognomine Monacho distinguendus, S. Dionysii tertio Priore, qui anno 1570. mundo sublatus, Epitaphium in Claustro San-Dionysiano, ac sepulturam habuit.

Romam diu ante contenderat Jacobus le Bossu, quam Auxiliorum Congregationes haberentur; quo videlicet tempore sub Henrico III. intestino dissidio Gallia jactabatur.

In Consultorem adlectus a Clemente VIII. Academiæ Parisiensis nomen, ac famam egregie sustinuit una cum Ludovico de Creil, quem Schola Sorbonæ ad Sedem Apostolicam pro eadem Congregatione delegaverat. (1). Scripsisse creditur Congregationum Diarium, cujus Autographum Romæ apud Fulienfes servatum fuerat, donec illud hujus Ordinis Præpositus Generalis R. P. Goulu in Gallias deportavit. Incidit in invidas manus Patris a S. Joseph, Viri medullitus Moliniani, a quo posteritati ereptum est. Hoc tamen de illo testimonium tulit in *Suarvi Concordia* disp. 4. sect. 4. num. 4. *Aperte favor Dominicanis*: eaque idcirco ratione publica luci sublaturum voluit, ne Schola Thomistica, cui is admodum adversus erat, Testis adeo locupletis suffragio frueretur.

Nonnulla ex eo Bossutii Diario petiisse videtur Auctor *Questionis Theologicae, Historicae, & Juris Pontificiæ*; *Quæ fuerit mens Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem, & Scientiam-Mediam?* Quæ Venetiis primum anno 1607. fertur edita, tum postea Tholozæ 1644. procurante R. P. Antonino Reginaldo, cui propterea a nonnullis adscripta est; nisi forte ille ipse Questionis hujus verus est Auctor, qui eam nihilominus, uti jam pridem Venetiis editam, non ut a se primum elucubratam, certis de causis vulgari voluerit. Et quidem Questionem illam, ab Henao primum in Mantissa ad Tractatum de Scientia-Media, tum deinde a Francisco Ansgo ad calcem Operis De Scientia-Media, impugnatam, novis Apologeticis Theibus defendit Reginaldus. Hanc nos, ut ut est, in Appendice dabimus, (2) uti brevem Auxiliorum Historiæ Analysim. In illa occurrent forte minora quædam facta, quorum veritatem haud scio, an satis perspectam Auctor haberit; sed quæ nec ad incudem revocare vacat, nec præstare animus est.

Existant etiamnum ejusdem Bossutii Animadversiones in viginti quinque Propositiones Ludovici Molinæ, quas ille a Domino Sancio a S. Catharina Fulienfi, quo familiariter utebatur, rogatus elaboraverat, eidemque dono dederat moriens. Et illas quidem in Appendice nostram conijcere animus tunc fuerat, cum primum earum exemplar nanciscendi spem fecit amicorum unus. At consilium, quod intenderam, abicere coegit spissior Scripti moles. Hujus tamen particulam ad promulgsdem exhibemus in Appendice, integrum Opus olim reddituri, cum opportuna se dederit occasio. Quamquam nec integrum Opus vocare liceat, cum e viginti quinque Molinæ propositionibus, in quas Auctor animadvertente proposuerat, sexdecim solummodo discusserit; reliquas, morte præventus, intactas dimittere coactus. In Indice, qui primus occurrit, totius fere Operis conspectus habetur: Tum viginti quinque propositiones Molinæ, ex ejus libro decerptæ, representantur; ac consequenter duo prima Animadversionum Capita, quæ Historiam Congregationum propius attingunt.

Sed juvat huc transferre gallicum Auctoris elogium, latine versum, quod Venerabilis Dominus San-

(1) *Inc. Baron, in una, & vera mente SS. Aug., & S. Tho. Disp. 2. sect. 2. §. 8. pag. 404. (2) In Append. Num. XX.*

Sancius a Sancta Catharina Animadversionum seu Autographo, seu primo Apographo præfixit. Sic se habet. (1)

„ DOMINUS LE BOSSU, Monachus Ordinis S. Benedicti in celeberrima S. Dionysii Abbatia (prope Parisios) & Doctor Sorbonicus, postquam in Gallia Christianæ Ecclesiæ res mirum in modum promovisset, cum Verbi Divini prædicatione, tum omnigenis aliis pietatis, charitatisque operibus, Romam se contulit, Clemente VIII. ad Ecclesiæ Romanæ clavum sedente; illicque commoratus est annos circiter triginta quinque, hoc est, usque ad obitum, qui illi contigit ante hos duos, & amplius annos.

„ Cum Clementi VIII. ejus doctrina, animus, ac præclare merita innotuissent, illum in Consultorum Congregationis de Auxiliis numerum adscivit.

„ Is semper Dominicanorum de Gratia sententiam secutus est, ac strenue adversus Jesuitas pugnavit. Pro eadem stetit pariter D. De Creil, Consultorum ejusdem Congregationis & ipse unus.

„ Mortuo Clemente Pontifice, de repetenda patria, & suæ Professionis Domo serio cogitavit Bossutius: at Romæ subsistere jussus est a Clementis Successore Paulo V., cui bene notus fuerat, & magno in pretio habitus in iisdem illis Congregationibus; eumque ab omni Monasterium suum repetendi debito absolutum voluit Pontifex. Mox in eundem mædicas pensiones contulit, ex Beneficiorum nonnullorum proventibus decerpendas, & ad vitæ necessaria usui futuras; indulta insuper facultate de bonis omnibus testamento pro nutu, & arbitrio statuendi.

„ Quidquid vere bonum est, id omne habebat ille in delictis. De fide, ac de Ecclesiæ veritate alite, & magnifice sentiebat. . . .

„ Romanis Congregationibus nonnullis ex officio intererat, in Consultorum numerum adlectus. Per multos annos spirituales Monasterii Sanctæ Sufannæ administrationem gessit.

„ Ab omnibus, qui illum intus noverant, ejusque frequenti usi fuerant consortio, singularis pietatis, ac sanctimoniz Vir habitus est.

„ Tam intimo Religionis, ac pietatis sensu in rerum Divinarum contemplatione afficiebatur, ut plerumque, dum in sacris Templis preces fundebat, totus ille in lacrymas effunderetur.

„ Licet octuagesimum ætatis annum attingisset, Quadragesimale tamen jejunium, aliaque ex Ecclesiæ, vel Regulæ Monasticæ præscripto indicta, religiose, ac rigide observabat, non secus ac olim juvenis, ac vegetus fecerat. Postremis etiam vitæ suæ annis Romanarum Stationum septem stadium pedes decurrere solebat, etsi quinque leucarum iter istud censeatur.

„ Quotidie ad duodecimam noctis horam e lectulo surgebat, ut nocturno Breviarii officio defunderetur. Cilicio carnem domabat; saepe non exutus vestes nocturnum somnum capiebat; nunquam carnis, ovorumque usu sibi interdicebat; & plures alias carnis macerationes octogenarius assumebat, quibus ex Monasterii, ejusque vitæ communis legibus immunem se habere poterat.

„ Paucis ante mortem annis Opus de Gratia, hortante me, ac suadente, elucubrandum suscepit, cui morte præventus coronidem imponere non potuit: & quia hujus Operis concinnandi Auctor illi fueram, istud mihi cum cæteris suis schedis, chartisque testamento legavit, significavitque, sibi huic Scriptioni incumbenti animum fuisse, illam Sorbonicæ Domus Nomini inscribere, ac nuncupare.

„ Quidquid sibi bonorum temporalium morienti superfluit, id omne in pauperum jus, usumque transcripsit ultimæ suæ voluntatis tabulis.

„ Denique, ut sancte vixerat, ita sancte diem ultimum Sacramentis Ecclesiæ munitus obiit die VII. Junii anno 1626. Priusquam sacro Eucharistiæ Viatico ad grandem æternitatis viam percurrerem reficeretur, latino sermone ipsum Dominum, in Sacramento præsentem, allocutus est tam ardenti pietatis, charitatisque affectu, tantoque fidei suæ de hujus mysterii veritate, ac sanctitate sensu, ut ipse largiter fleret, præsentique cœtui copiosas exiret lacrymas.

Ad finem hujus Elogii hoc subnotatum est.

„ Hæc scripta sunt a Domino Sancio a S. Catharina, Congregationis Fullensium Monacho „

P A R A G R A P H U S D E C I M U S.

De Illustrissimo Pegna, ejusque MSS.

Franciscus Pegna, Aragonius, ex oppido, cui vulgo nomen *Villaroja de los Pinares*, in Academia Valentina S. Theologiæ, ac Juris Utriusque Doctor est renunciatus. (1) A Philippo II. Rege Catholico Romæ Judex causarum Pontificiarum, seu Rotæ Auditor pro Corona Aragoniæ datus, eo munere summa integritatis, ac pietatis fama functus est; ac demum Decani locum obtinuit. Canonicatum in Cæsaraugustana Ecclesia, tum Albarrazinensem Episcopatum recusavit: quam ob temperantiam opimis a Rege suo pensionibus auctus est. Maxima apud Clementem VIII., & Paulum V. gratia, & exsistimatione valuit, a quibus in gravissimis negotiis, ad S. Inquisitionis Tribunal spectantibus, consulatur. Exstat ejus ad hujusmodi Consultationes Responsonum Volumen integrum manuscriptum. Judex Apostolicus datus est Actorum, & Processuum SS. Didaci Complutensis, Hyacinthi, Raymundi, Caroli Borromæi, Francisæ Romanæ, ad canonicam illorum apotheosim promovendam. Causam Francisci Suares de semine a Virgine Deipara in Christi Conceptione effuso, cum aliis Episcopis, ac Censoribus judicavit. Controversias de Generatione hominum mortuorum, ante Ecclesiæ approbationem, cognovit cum Eminentissimis Cardinalibus de Monopoli, & de Torres, aliisque meritis Cognitoribus, ab Apostolica Sede datis. De propositionibus Joannis Baptistæ Catarfariti, Italo-Græcorum Reginorum Archiepiscopi, de Græcorum Ritibus cum Cardinalibus Galamino, & Aufculano sententiam dixit. A Paulo V. una cum aliis Cognitor datus, ad forensia Status Ecclesiastici judicia reformanda, curam arduam, ac perplexi moliminis ingenti animo aggressus est, inexplicabiles ambages reseidit, moras sustulit, cuncta demum ad antiquum morem exegit. Orta Pontificem inter, & Hispaniæ Regem contentione de jure nominandi ad pinguia quædam Sacerdotia, ab utroque selectus Arbitrator, nulla Regis heri sui ratione habita, jus Ecclesiæ Capiti adjudicavit: cujus arbitrio non modo stetit piissimus Princeps, sed ob id potius subditi sui, cujus judicio causa ceciderat, integritatem pluris fecit, præmiis donavit. Hispaniarum Oratoribus apud Apostolicam Sedem, ac præsertim Duci de Sessa, quasi a manu, ac studiis fuit.

Obiit Romæ anno ætatis suæ 72. superioris vero seculi duodecimo cadente. Ejus corpus, quem admodum testamento legavit, in Hispaniam translatum, sepultum fuit in patria, in sacro sacello, quod magnis sumptibus politici arte elaborari, pretiosissimaque ex auro, & argento suppellectili ornari curaverat. Reliquit eruditionis suæ monumenta libros a se editos de rebus Theologicis, Canonicis, Historicis, & Asceticis, quorum elenchum habes in Bibliotheca Nicolai Antonii, & in Præfatione ad ejus Decisiones Rotales, quas Didacus Antonius Frances publici juris fecit.

In causa Divinorum Auxiliorum partes habuit plurimas. Catholici Regis nomine coram Clemente VIII., & Paulo V. supplicavit pluries pro gravissimæ controversiæ definitione; eumque vicissim iidem Pontifices ad colloquium ea de re sæpius admittebant. Supremum Inquisitionis Matritensis Consilium de universa hujus causæ tractatione statis cujusque mensis diebus commonebat. Diarium Congregationum adornavit, cujus autographum, vetustate exæsum, in Archivo generalis Ordinis Prædicatorum extremum cum tinea agonem agit. Varia tamen ex illo transumpta ante annos quinquaginta, Notariorum chirographis communita, in varias Urbis, & Galliæ Bibliothecas transmissa sunt.

Autographum hoc una cum aliis quatuor Collectaneorum voluminibus, ad causam de Auxiliis spectantium, extrema voluntate dedit Thomæ de Lemos. Servantur in eodem Archivo, cum hac Lemosi epigraphe illorum uni præfixa: (2) *Liber Illustrissimi D. Pegna, quo varia continentur ad Controversiam de Auxiliis spectantia documenta, Epistole multe, Narrationes plurime: quem ipse, una cum aliis quatuor, mihi F. Thomæ de Lemos testamento legavit.*

Mul-

(1) Ex *Dia. Anton. Frances. Nicol. An. Jano Nicio Erith. Morerio.* (2) *Libro de Monjeor Peña, que contiene varias cosas, muchas cartas, y relaciones muchísimas, acerca de la causa de los Auxilios de la Divina Gracia. El qual libro con otros quatro mandó se me diesen a Mi Fray Thomas de Lemos, despues de su muerte.*

„ Multa de Clarissimo Pegna expostulant Societatis Scriptores, ut ejus Diarii fidem elevent. Inprimis Theologum illum fuisse, negant; sed Juris Canonici duntaxat peritum, atque idcirco in hisce de Divina Gratia disputationibus minus versatum. Addunt, Congregationum acta illi perspecta non fuisse, utpote quæ ex Summorum Pontificum mandatis sub sacratissimi silentii sigillo servabantur, Ultimo implacabilem illum Societatis hostem appellant.

At tria hæc ipsa sui levitate evanescent. Theologiæ perinde, ac Juris Doctor erat Clarissimus Pegna: nec vanam in ipso fuisse Theologi nominis umbram, intelligent quotquot eruditionis ejus monumenta legerint, aut demandata ipsi a Summis Pontificibus officia perpenderit. Quamquam aliàs non exulta admodum Theologiæ scientiæ peritia desideraretur, ut historicam Congregationum istarum narrationem faceret.

Injuncti silentii lex minus urget, cum ab ea soluti censerentur, qui suas in hujusce negotii tractatione partes habebant, Publici enim commodi necessitas postulabat, ut ii secretorum conscii essent, qui aliquid in rem publicam utilitatis conferre possent. Et vero si Congregationum gesta nescivisset Pegna; quæ illum, amabo, necessitas compellebat, ut illarum Diarium ederet? Sed scribit maxime, atque Secretarii ipsius Commentarios in quarta causæ cognitione pene ad verbum desloravit, uti nos manuscriptorum collatione comprobavimus. Verum etsi ita foret, ut objicitur, nihil nobis profus offereret, qui Clarissimi Viri testimonium nusquam appellavimus, ubi de iis sermo fuit, quæ in intimo Congregationum sacrario trahebantur.

Ultimum de odio in Societatem implacabili calumnia est, & futillis exceptio, ad eludendum piissimi Viri suffragium excogitata. Sed frustra: probandus est etenim adversus ille in Societatem animus, non iactandus pro arbitrio; alias nemo unquam cujuscumque testis, tametsi locupletissimè, fide revinci possit; cum nemo sit, qui futiles illas odii, inimicitiae, ac simulatis exceptiones non obrudat, quoties adversum sibi testimonium experitur. Certe quo fuerit in Societatem animo Clarissimus Pegna ante Congregationum istarum celebrationem, probat ejus opus contra Senatus Parisiensis Edictum, quo e Gallia Regno Societas pulsa fuerat ob Joannis Castellii facinus in Henricum IV. attentatum. In Societatis laudes toto passim opere diffunditur, Ostendit capite 12. *Patres Societatis Jesu, non esse juvenis corruptores, sed integros, & incorruptos bonorum morum Magistros, & doctrina Christiane veraces, & assiduos Doctores.* Probat capite 13. *Jesuitas non esse pacis, & tranquillitatis publicæ perturbatores.* Capite 14. *Jesuitas non esse Regis, & status inimicos, ut Parlamentum asseruit.* Qui porro Societatis patrocinium in tam odioso rerum eventu sibi sumpsit, ine, quæso, Societatis ejusdem professus hostis habendus erit? Habendus, inquit Quæstionum eventuator; cum etiam edito libello, (1) Jesuitarum causam nuper egerit Juris, Ecclesiæ falsi nominis reformatae Minister, Jesuitarum licet professus hostis. Quasi vero non aliud plane sit, doctrinæ caput aliquod, nulla Auctorum præmissa commendatione, sed spectatis duntaxat causæ meritis, propugnare; aliud, Auctores immodicis laudibus efferre; quod suo illo libello executus est Clarissimus Pegna. Do breve specimen, ut totius mercimonii pretium noveris. Notum esse puto, ait ille cap. 12. *hanc saluberrimam, & universæ Catholicæ Ecclesiæ utilissimam Religionem, ante 60. annos ab Ignatio Loyola Navarro, viro profunda humilitatis, insignis sanctitatis, & pietatis, ope Divina institutam. . . . Sed iniquum Parlamentum præjudicium nusquam poterit apud viros bonos hujus Religionis famam ledere, aut minere existimationem; cum omnes Catholici toto Orbe difusi probe agnoscant, hanc Religionem esse nunc in Ecclesia Dei, tanquam murum, quo ejus hostes in eam irruere prohibentur; illius alumnos esse vigilantes custodes, arcentes vulpeculas, id est hereticos, ne vineam Domini demoliantur; esse tanquam sidera lucentia in perpetuas æternitates. Quoniam arcana Dei & Doctrinam ejus Catholicam, & Christianam sic orbem docuerint, doceant, ut in omnibus Provinciis, quibus verbum Dei annunciant, errorum nebulas depulerint, mores correxerint, viam cælestem aperuerint, æternitatis adytum credentibus patefecerint &c.* Itane Societatem extulerit professus hostis? Jurium iis laudibus Jesuitas celebrasse, ostendat Quæstionum eventuator, si potis est: eum non secus, ac Pegnam in Societatem bene affectum profiteri, nihil verebor.

Mutatam fortassis Illustrissimi Præsulis animum dicent aliqui, cum primum emerit Auxiliorum Controversia. At præposterum nimis, ac ferum effugium est. Non enim reus auditur, qui testem inimicitie obtentu rejicit, nisi odium præcedentibus factis ostenderit. Non jam ergo adverso Pegnæ animo, sed narrandæ veritatis necessitati tribuendum, quidquid controversiæ hujus occasione scripto reliquit.

Sed, inquit novissimus Cavillator Leodiensis, (2) erat ille Gallis subinfensus, Sit ita: quid ergo? An

(1) *L'Esprit de M. Arnauld.* (2) *Pag. 42. 43. 44.*

An forte in ea, quæ de Auxiliis controversa movebatur, de Regni finibus Gallia cum Hispania certabat? Aut qui Molinam Jesuitæ tuebantur, Galli erant; soli qui oppugnabant Prædicatores, Hispani? An non potius Hispani omnes, qui pro alterutra parte dimicabant, seu verius duo amplissimi Ordines committebantur, quorum neuter unius Regni clauditur finibus?

Erat (subjungit festivus homo) Franciscus Pegna Henrici IV. professus hostis, ejusque canonice absolutioni modis omnibus intercessit. Ita forte fuerit. At quis non videat, scilicet illud, quo in Henricum incitatus dicitur, odium in Societatem usque non protendisse? cum iis ipsis in libris, quos adversus Henrici IV. personam, ejusque Senatus Edictum, occasione perpetrati a Joanne Castello facinoris promulgatum, elucubravit, Jesuitarum defensionem in odiosissima omnium causa arripuerit?

Sed & velim hic obiter scire, cur clarissimi Pegna suffragium hoc maxime nomine elevandum, putet novissimum accusator, quod & Hispanus esset, & Gallia subinsensus, & in Henricum IV. minus æquus? Itane Gallos in clarissimum virum concitare libuit, ac cæcis illis accusationibus occupare? Si sic est, minus prudenter causæ suæ commodis consulit. Neminem enim Gallos inter fore puto, qui vana illas criminationes, una gentium, ac ditionum differentia nixas, aut commodata Principibus inter se dissidentibus advocacione, non rideat, non exhibeat. Nemo quippe prudens subdito viro succenset, aut vitio vertit, quod Principis sui jura pro sua virili adversus externos tueatur, atque promoveat. Sic sane suam officium exsequitur, debitas viri-probi partes implet; futurus etiam improbus, si secus ageret. Id porro unum hac occasione tentavit clarissimus Pegna; nec alia de causa adversum Henricum IV. animum gessit, quam ut Hispania jura, quæ illi iusta videbantur, vindicaret, ac tueretur. Quamquam quid ista moramur? Non uni Gallia, sed Ecclesia universa nostram hanc Auxiliorum Historiam consecramus. Ac si quis forte, Gallos inter minus æquus rerum istarum estimator, adversum Pegna suffragium vel hoc uno nomine excipiendum duceret, quod Hispanus esset, & Gallis forte subditus; longe aliter cæterarum omnium gentium eruditi nihilofecius judicarent, ejusque suffragium admitterent, uti omni exceptione majus; quod nulla hic quaestio vestiat, quæ Galliam cum Hispania commiserit.

5. Ignatii (reponit ille) canonice apotheci obstiterit Clarissimus Pegna. Demus illud, tamen pro arbitrio forte confictum. Quis nesciat, in ea de viris inter Cœlitres ascribendis lite instrui solita, Religiosiores quandoque rituum Consultores (quo tunc munere Pegna fungebatur) ardentius obitare, a reliquis descendere, quod eis de heroicis, ut ajunt, virtutibus minus constat: tamen statim atque factos illis honores Ecclesia decrevit, pietate in illos, ac religione nulli concedant. Et certe si Societati ob ea, quæ tunc in Molina tuebatur, doctrinæ portenta, adeo insensus erat Clarissimus Pegna; quæ illum ratio compellebat, ut eodem sanctissimum Patriarcham dente morderet; cum illum longe aliter affectum nosset, fancitasque ab eo leges certo sciret, quarum præsertim violatione nova illa portenta enata fuerant?

Quid tandem? Pegna, inquit ille, suum illud in Societatem odium implacabile extremo etiam testamento obsignavit. Mirum profecto! At quo tandem pacto, quæ ratione livorem etiam suum, extrema voluntate testatum voluit? Non id Leodiensi nostro dicere libuit. Dicam ego, ut criminationis ineptiam rideant omnes. Gravem illam alicubi apud Theophilum Raynaudum de Clarissimo Pegna expostulationem legisse memini, (1) quod is moriens largas Eleemosynas inopibus apud varia Urbis Collegia studentibus erogari jufferit; nihil tamen legarit iis, qui studiorum in Societate tyrocinia ponerent. En grande scelus, grande implacabilis in Societatem odii argumentum. Auro igitur venditur amicitia; timendumque, ne, si nihil Societati, vel suis testamento legemus, implacabilis in eam odii incusemur?

De Cardinalibus Bellarmino, ac Perronio (quod ultimum Leodiensis criminationis caput est) non ita quidem magnifice sensit Illustrissimus Pegna; quod illos forte obliquis corvinationibus Molinismo plus æquo patrocinari crederet. At venialis hæc culpa est, cujus obrentu fidem illi in cæteris derogare, minus expedit. Varia quippe esse de viris etiam meritis hominum judicia, ipsius etiam Bellarmini fortuna satis probat; qui cum Leodiensis Scribæ opinione dignus esset, ut inter sanctos canonice apotheci referretur, un Saint a canoniser; (2) talis nihilominus Romanæ Curia judicio non est habitus, dum de ejus virtutibus quaestio ex forma juris instructa est, Ponente, ut ajunt, Eminentiissimo Cardinali Flavio Chigio. Hinc noverit Pseudo-criticus Leodiensis, non unam, eandemque omnium animis insidere de viris etiam præstantissimis opinionem.

Pegna famam non mediocriter obscuraret, quod scribit Cardinalis Ossatus in sua ad Henricum IV. Epi-

(1) In diar. §. 113. (2) Pag. 44.

Epistola; illum nempe adversus Regis maximi absolutionem scripturientem, non paucas hereses effutisse, atque ob id ad fidei Tribunal vadimonium obijisse; nisi certo certius esset, id ab eo Henrici auribus dari, ut illius genio respondeat, virumque deprædicet Majestati suæ minus acceptum. Exstat enim vero in hanc diem Libellus, hac occasione a Francisco Pegna elaboratus, nimirum *Responsio Canonica in Causa Henrici Borbonii*. In eo quidem adversus ejusdem Canonice absolutionem totis lacertis depugnat; qua parte probari a me non potest. At si licet Argus, aut lynceos oculos habeas, nullum in fide navum invenies: a vero licet abeat; attamen intra fidei limites continetur. Ad hæc: Pegnam nunquam sua Romæ fama deseruit, immo aucta in dies pietatis ejus, & Religionis opinio. Constanti Romanorum Pontificum Clementis VIII., & Pauli V. gratia potius, ea munia, nusquam sibi dissimilis, ad ultimas vitæ metas obiit, quæ illum nedum integræ fidei virum probent, sed ab omni quoque erroris suspicione remotissimum. Tantumque abest, ut illi ob procos errores coram supremis fidei Inquisitoribus dies dicta sit, ut contra potius fuderit posthac eo in Tribunali Consultor, & Judex; & adversus hereses consiliis, & scriptis locupletissimis depugnarit. Audi Alexandrum Marlianum Protonotarium Apostolicum: *In Tribunali Sacrae Rotæ, ubi Decanus evasit, juri dicundo, & decidendo præfuit, integerrimus, & incorruptibilis, exemplaris, Mox ad sanctissima Inquisitionis Tribunal vocatus sedit, & consuluit, Consultoris officio, fide, & laude plenus, fungens . . . hereticas prævitates confutare conatus, deus, nocturne studuit, indefesso gravam operam consultationibus dedit. Nulli labori propterea peperit: pro defensione libertatis Ecclesie acerrime pugnavit, & contra falsorum dogmatum Auctores, & Scriptores sanctissime æque, ac doctissime scripsit, atque respondit . . . Munia omnia ad amissum obivit, usque in finem omnis experte reprehensionis . . . Christianæ, & Catholice Religionis propugnator pietatem, justitiam, charitatem coluit, &c.* Quibus paria habent Antonius Frances in Prefatione ad Decisiones Rotales, Paulus Rubens in *discursu* ad Juris studiosos; & ante omnes Janus Nicius Erithraeus in sua Pinacotheca Imaginum virorum illustrium, parte 1. nu. 8., ubi Pegnam *multum apud omnes auctoritate, existimatione, & gratia valuisse scribit; virumque fuisse plane egregium, multa opera, atque industria in Romana Aula cognitum.*

Accedit, quod passim Scriptores Galli clarissimo Pegna vitio vertunt, illum feliciter Inquisitionis Jura, auctoritatem, dignitatemque præter fas, & æquum extulisse, commendasse. Non est hæc profecto virorum illorum indoles, qui tremendi Tribunalis virgam experti sunt. At quid ista moramur, ut Cardinalem Ossatum, humani quidpiam ea in Epistola passum demonstremus? Ipse se prodit, nihilque hujusmodi quidquam Pegna contigisse, vel nolens innuit, dum summum Pontificem ad defendendam Pegna Purpuram inclinatum scribit: *Mais quand aujourd'hui Sa Sainteté voudroit promouvoir le Sieur Pegna, Auditeur de Roté, Espagnol, qui s'étoit tant distillé à écrire contre Votre Majesté, pour empêcher l'absolution, avec tant d'ardeur, qu'il avoit écrit plusieurs hereses; & s'en étoit fait mettre à l'Inquisition; ce nonobstant Votre Majesté, ni pas un de ses Ministres ne voudroit avoir ouvert la bouche pour l'empêcher.* Hoc est, Tamen si vellet tunc Sanctitas Sua, Purpuram deferre Domino Pegna, Rotæ Romanæ Auditori, Hispano, qui Majestatem Vestram scriptis insectatus est, ingeniumque, ut illius absolutioni Canonice obviam poneret, adeo torfit, ut hereses non paucas effutierit, ob idque ad supremum fidei Tribunal citatus sit; ne hisceret quidem Majestas Vestra, illiusque Ministri repugnarent. Quis vero putet, Pontificem de conferenda Pegna Purpura cogitasse, ut Ossatus videtur illic significare; si is ante dies aliquot ob procos errores coram supremo fidei Senatu vadimonium obijisset? Minus ergo secum ea in Epistola consentit Cardinalis Ossatus, mordaciorique sale virum Hispanum defricat Gallus, adversis studiis occupatus. Tamen vel ob id venia dignus haberi possit, quod hoc illi verbum exciderit obiter, ac minus obloquendi animo, quam flagranti in Herum zelo, ardentique in Regem Maximum studio.

PARAGRAPHUS UNDECIMUS.

De Thoma de Lemos, ejusque MSS.

Thomas de Lemos Hispanus, ex Illustri Comitum stirpe oriundus, ad Prædicatorum Ordinem cælesti quodam numine vocatus est. (1) Pietatem, & litteras adeo coluit, ut intra breve tempus religiosissimi æque, ac eruditissimi famam apud suos, & externos obtinuerit. Degebat Vallisoletæ, quo tempore prima controversiarum istarum velitatio cæpit anno 1594. inter Didacum Nuno, & Anto-

(1) Ex Dion. de Lecce, & Marchesio in Monum. Domin.